



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De Baptismo paruulorum. tit. 70

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Ioan. 9? Clamore in resurrectione Lazari, Ioan. 11? & sufflatio in faciem Apostolorum? Nonne sola fides hæc omnia potuisset perpetrâsse? Ad quid Apostoli oleo vagebant infirmos, Marc. 6? & quoniam patres, propheta, Christus, Apostoli, sunt vsi cæremonijs, quare nobis est nobis peccatum?

Tertiò, fructus cæremoniarum sunt primò, quòd infirmi & pueri trahuntur ad fidem Christi, sicut stella traxit reges ad præsepe Christi, Matt. 2. & sicut columna nubis & statua ignis ostendit & traxit filios Israel in terram sanctam, Exod. 13. sic ascensionem Christi, resurrectionem, missionem spiritus sancti ostendimus pueris: deindè non carent suis præmijs, eò quòd ad honorem Dei fiunt, 1. Cor. 3. vnusquisq; mercedem &c. Postremò, quia discernunt catholicos à sectarijs, quòd catholici sunt certi, quòd Deo placent: non sic sectæ, vt docet historia, Numer. 16. cum Dathan, Abiron, Chore, &c.

DE BAPTISMO PAR-
uulorum.

TITVLVS LXX.

Baptis-
Ria sunt notanda: Primo, quid sit baptismus paruulorum: Secundò, cur institutus: Tertiò, quem fructum habeat paruuli baptizati. Primò, baptismus paruulorum est gratuita redemptio à condènatione primæ generationis & ab ira Dei, in quibus nos omnes nascimur. Ephes. 2. Erasmus nos oēs natura filij iræ Secundò, cur institutus est, ex quo paruuli nõ credunt, iuxta illud Mar. vlti. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c. Et Mat. vlt. Docete (primò) oēs gentes, sed paruuli nondum sunt capaces. Respõdeo, Hoc ex præcepto Christi factum est, qui dicit Marc. 9. sinite paruulos venire ad me: ad illos enim spectat regnum cælorum, id est, remissio peccatorum. Nam

00 3 si sunt

si sunt capaces peccati parentum, Rom. 5. in quo omnes peccauimus ante omnem rationem & intellectum, cur non etiã sunt capaces alienæ iustitiæ Christi, vt accipiant remissionem peccatorum? Ideò Christus iubet eos ad se venire. Subindè puer habet fidem sacramenti, licet non habet fidem in actu vel opere, habet tamen tum in virtute, sicut dormiens non habet fidem in vsu & actu operis, habet tamen in virtute, sicut artifex non vtens artificio, & virgo desponsata viro, licet nondùm sint coniuncti, est tamen legitima sacramento in virtute: sic puer habet fidem non in vsu, sed in virtute. Ne igitur puer priuetur salute, ad præceptum Christi baptizatur. Et quoniam Christus infundit spiritum sanctum in baptismo, ad Tit. 3. Act. 2. ergo & fidem infusam habet puer. Nam absq̃ tali fide nõ est Spiritus sanctus, cum sit etiã illius fructus. Gal. 5. Charitas, dilectio, fides, etsi illa nondùm sunt in vsu operis, quia ratio adhuc deest, habent tamen in virtute, vt dicit Augustinus. Tertiò, fructus baptismi paruulorum est, quòd incorporantur corpori Christi, & sunt membra eius 1. Corin. 12. Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, liberi vel serui, & in vno spiritu potati sumus &c. Puer igitur non baptizatus, nondùm est membrum in corpore Christi mystico: ergo nec particeps bonorum Christi, neq; Ecclesiæ Christi. nam omnes vnum corpus efficimur, & vnus panis quotquot Christum manducamus, & in illum credimus, 1. Corin. 10. subindè veram accipiunt pueri remissionem per baptismum, etsi nondùm intelligunt, sicut nec intelligunt, quomodò sint infecti peccato originali, Rom. 5. Ideò verè mundantur & lauantur à peccatis, & aditus ad regnum æternum illis conceditur: circumciderant pueros Iudæi octauo die, Luc. 2. Genes. 17. qui etiam carebant ratione, at tamen aduniebantur i. pulo & pacto Dei, &c.